

## Annotatio.

Nullum argumentum debet solvi *inficiando*, quod solvi potest *distinguendo*, sive limitando. Inficiatio enim est asperum & durum solvendi genus, ac penè rude, quo etiam imperiti facile uti possunt: sed distinctio est solutio mitior & eruditior atq; ingeniosior. *vid. Keckerman. System. Log. l. 3. p. 961. Jac. Reineccium in Artificio Disputandi p. 206. seq. Conrad. Horneium de Processu Disputandi c. 8. p. 125.*

2. *Vel per Distinctionem*, quum alterutram præmissarum vel ambas ambiguas esse dicimus. ut:

*Quod est nihil, non est dignum pœnâ:*

*Peccatum est nihil:*

*E. Non est dignum pœnâ.*

Resp. per *Distinctionem*, ostendendo terminum *nihil* in majore sumi pro *nibilo negativo*: In minore pro *nibilo privativo*, unde quatuor termini *pag. 21.*

## Annotatio.

*Distinctionem* facit certa aliqua verborum significatio, vel circumstantia aliqua, vel respectus quidam.

3 *Vel*